



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS PP. III LITTERAE APOSTOLICAE **SICUT MATER** VENERABILI DEI FAMULAE MARIAE ROSAE DUROCHER,

FUNDATRICI CONGREGATIONIS SORORUM A SS. NOMINIBUS

IESU ET MARIAE IN CANADA, BEATORUM HONORES DECERNUNTUR Ad perpetuam rei memoriam. – Sicut mater laetatur de filiis, qui fulgidissima eius sunt corona, ita Sancta Ecclesia de magna et innumerabili quidem turba gaudet Beatorum Sanctorumque Caelitum. Ii enim Dei sunt amici eorumque exempla virtutum Christifideles sibi aemulanda proponunt, quorum patrocinio in hoc arduo itinere ad supernam patriam se valde confidunt adiuvari. His vero merito potest adscribi Maria Rosa Durocher, quam hodie in Beatorum numerum sollemni declaratione Nostra rettulimus et Christifidelibus per virtutem imitandam proposuimus. Quae venerabilis Dei Famula, in saeculo Eulalia Durocher appellata, nata est die sexta mensis Octobris anno MDCCCXI in pago «Saint-Antoine-sur-Richelieu», tunc intra fines dioecesis Quebecensis, in Canadensi dicione. Ultima fuit ex decem filiis, quorum tres sacerdotium sunt adepti, duae autem religiosam vitam suscepérunt. Post primam formationem quam a parentibus et «Sororibus Congregationis Notre-Dame» habuerat, quaerebat qualis esset sua in Ecclesia vocatio. Re mature perpensa, statuit uni Deo adhaerere evangelica sequendo consilia. Quare eiusdem Instituti Sororum collegium Marianopolitanum est ingressa ut inde ad noviciatum transiret, sed infirmae valetudinis causa ab eo discessit. Posthac fratri suo parocho inservivit, fungens quoque munere moderatricis paroecialium operum rei subsidiariae administrandae. Interea eximiorum pietatis magistrorum usa consiliis, propriae sanctitati intendit, ac praesertim sollicita de rudibus catholicae doctrinae inscientibus, puellarum et adulescentium consociationem incepit, quae prima Congregatio Mariana paroecialis in Canada exstitit. Anno autem MDCCCXLIV, quo aptius puellarum curae et institutions provideretur, probante Ignatio Bourget, Episcopo Marianopolitano, atque faventibus Missionariis Oblatis B. M. V. Immaculatae Congregationem Sororum a SS. Nominibus Iesu et Mariae in pago «Longueuil» condidit. Quae progrediente aetate in nonnullas Nationes diffusa est, cui ut Antistita ipsa sapienti consilio praefuit, haud levibus difficultatibus non obstantibus. Demum anno MDCCCXLIX, aetatis suaee XXXVIII, die sexta mensis Octobris, post diuturnum morbum patienter toleratum piissime obdormivit in Domino. Brevi tempore vixit, attamen brevi ad perfectionem pervenit «explens tempora multa» (Cfr. *Sap* 4, 13), ut egregius Praesul et Pastor Ignatius Bourget, quem diximus, anno MDCCCLXXX de ea ita scripserit: «Illiā equidem tamquam Sanctam invoco atque fore confido ut Dominus eam coram hominibus glorificet efficiens ut eidem ab Ecclesia Beatorum honores tribuantur». Si enim decursus vitae Famulæ Dei respicitur, ea «fortis virili pectore» mulier fuisse cognoscitur. Nam «omnibus omnia facta» (Cfr. *1 Cor* 9, 22) etiam per aspera ad altiora osque tetendit atque tum Ecclesiae tum societati profuit iugiter parata fratres in angustiis iuvare iisque in necessitatibus subvenire. Peculiaribus quidem virtutibus eam constat fuisse praeditam praecipue humilitate et prudentia, quibus institutoriam «missionem» obiret suam arctam servando unitatem cum sacra Hierarchia. Semet ipsam abnegans, sororibus maximam reverentiam praestit, cumque iis ad aedificationem Ecclesiae in Canada operata est. Castitatem sancte coluit, paupertatem dilexit, Regulæ normas

observavit oboediens. In oratione sedula, Eucharistiae et Deiparae Virginis amantissima fuit: vera Christi discipula, imitatrix et sponsa. Nil ergo mirum si Servae Dei sanctitatis et miraculorum fama post ius mortem invaluerit. Cum autem illa cresceret in dies, processus ordinarius apud Marianopolitanam Curiam annis MCMXXVII-MCMXXIX instructus est. Dein, actis Romam transmissis, causa demandata fuit Sectioni Historicae Sacrae tunc Rituum Congregationis. Anno vero MCMLXXII die septima mensis Octobris, Paulus VI, Decessor Noster, statuit causam Servae Dei rite esse introducendam. Inde de eius virtutibus est disceptatum, quas eam heroum in modum exercuisse Nos ediximus decreto die decima tertia mensis Iulii anno MCMLXXIX lato. Ad miracula vero quod attinet, una e sanationibus intercessioni Famiilae Dei tributis proposita est, videlicet subitanea sanano Beniamini Modzel a traumaticis laesionibus abdominalibus et gravi statu vulgo «shock». Quam sanationem verum fuisse miraculum Nos declaravimus per decretum die secunda mensis Aprilis hoc anno promulgatum, eximentes actores a lege alterius miraculi exhibendi, cognita Servae Dei fama signorum. Post haec statuts est dies ad sollemnem Beatificationem tum eius tum Petri Donders, Mariae Annae Rivier, Mariae Angelae Astorch, Andreae Bessette. Hac mane igitur in foro S. Petri inter missarum sollemnia hanc Beatificationis formulam recitavimus; «Nos, vota Fratrum Nostrorum, Ioannis Bluysen, episcopi Buscoducensis, Ioannis Hermil, episcopi Vivariensis, Pauli Grégoire, archiepiscopi Marianopolitani, Francisci Xavier Azagra Labiano, episcopi Carthaginensis in Hispania, necnon plurium aliorum Fratrum in episcopatu, multorumque Christifidelium explentes, de Sacrae Congregationis pro Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus, ut venerabiles Servi Dei Petrus Donders, Maria Anna Rivier, *Maria Rosa Durocher*, Maria Angela Astorch, Andreas Bessette, Beatorum nomine in posterum appellantur, eorumque festum die ipsorum natali: Beati Petri Donders, die decima quarta Ianuarii, Beatae Mariae Rivier, die tertia Februarii, Beatae Mariae Rosae Durocher, die sexta Octobris, Beatae Mariae Angelae Astorch, die secunda Decembris, Beati Andreae Bessette, die sexta Ianuarii, in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti». Faxit Deus ut Beatae Mariae Rosae vestigia sectantes nos quoque caelorum agminis mereamur esse participes. Quae vero statuimus ab omnibus rata volumus haberi, contrariis nihil obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXIII mensis Maii, anno MCMLXXXII, Pontificatus Nostri quarto.* AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis* © Copyright 1982 - Libreria Editrice Vaticana